

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, ¹⁵

^{De}
ASSIGNATIONIBUS, ¹⁰

Vulgo

Von Anweisungen / ^{1703, 16}

Quam

Divinâ Favente Gratiâ

EX AUTORITATE

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE VIADRINA,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

ICTO LONGE CELEBERRIMO,

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ

CONSILIARIO INTIMO,

FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO ET PROFESS.

PRIMARIO,

ANTEA

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI

ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-

BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.

PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

Fautore ac studiorum suorum Promotore et a tem colendo

Ad Diem XIV. Julii Anno MDC.CIII.

Placido Eruditorum examini ffit

JOACHIMUS FRIDERICUS

ab **ENGELBRECHTEN,**

Vocat. Synd. Stralesfund.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

ASSIGNATIONIBUS

Vulgo

in die 18. Junii 1800

in Praesentia

Reverendissimi

EX AUCTORITATE

ACADEMIAE POTERUM ORDINIS

IV. UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

IN PRAESENTIA

DR. HENRICO COCCO

ACTO PUBLICO CELEBRATO

SEMPER IN POTESTATE LEGIS FORUS

CONSTITUTO IN HALLE

IN AULA MAGISTRALI PUBLICE

PROFUSO

SUMMI CONSILII STATVS ELECTORIS PALATINI

ET COLLEGIUM RECTORUM ASSONORUM IN ALMA HEDER

RECTORUM RECTORUM ET RECTORUM

PROFUSO ORDINIS

IN AULA MAGISTRALI PUBLICE

ACTO PUBLICO CELEBRATO

IN AULA MAGISTRALI

JOACHIMUS RECTOR

ACTO PUBLICO CELEBRATO

IN AULA MAGISTRALI

IN AULA MAGISTRALI PUBLICE



SUMMARI.

- §. 1. *Circa vocum explicationem nimis anxie laborare supervacaneum videtur, hinc paucis Etymon assignationis subjicitur.*
- §. 2. & 3. *Assignationis significatio varia est, & apud probata latinis Auctores & in jure nostro.*
- §. 4. *Mores quoque & statuta nonnullis negotiis hanc vocem applicant.*
- §. 5. *Differt ab omnibus hisce nostris assignationis interpretatio; accipitur enim nobis pro negotio quo de solutione expedienda inter debitorem & Creditorem agitur.*
- §. 6. *Hec assignatio duplici modo fit, tum à parte debitoris, tum à parte creditoris: Illa invito debitore, hac non nisi volente Creditore fieri potest.*
- §. 7. *Fundamentum assignationis in genere ex variis negotiis dependet, plerumque tamen per mandatum fieri solet, de qua sola nostra erit tractatio.*
- §. 8. *Mandatum esse in Assignatione ex variis Juris textibus probatur.*
- §. 9. *Hinc etiam definitur per mandatum, quo vel solutio vel executio debiti gratis alii committitur.*
- §. 10. *Hec assignatio nihil juris transfert, sed assignatus tantum minister constituitur tum solutionis, tum executionis.*
- §. 11. *Causa efficiens assignationis, est consensus contrahentium, quocumque modo declaratus: Totum enim negotium normam & regulas mandati sequitur.*
- §. 12. *Unde patet distinctio assignationis ab aliis similibus Juribus, & quidem (1) a Delegatione, à qua ipsa voce distinguitur, nec recte communiter Vocabulum *Anweisung* delegationi tribuitur.*
- §. 13. *Imò multò magis re ipsa differre delegationem ab assignatione demonstratur.*
- §. 14. *Solvitur objectio.*
- §. 15. (2.) *Differt à Constituta Pecunia,*
- §. 16. & 17. (3.) *A Cessione.*
- §. 18. (4.) *Ab adjecto solutioni.*
- §. 19. (5.) *A Cambio.*
- §. 20. *Potest tantum fieri assignatio ab iis qui liberam rerum administrationem habent & alienare possunt.*
- §. 21. *Hinc Tutores quoque & Curatores assignare possunt.*
Ubi quer. an si Pupillus Tutori debeat, ipse Tutor hoc debitum suum ex pupillibonis solvendum alii assignare possit?
Quod Aff.
- §. 22. *Pupillus Tutore autore tantum assignare potest debitor tamen plenissime non liberabitur nisi decretum accedat Judicis, contra Carpz. Quod limita-*

- tur in annuis redditibus & pensionibus,
 ad quarum solutionem & assignatio-
 nem Judicis Decreto opus non est.
- §. 23. assignatur ex omni obligatione un-
 de solv. aliquid debet, etiam quod ex
 penalibus actionibus, querela inofficio-
 si Testam. &c. debetur. Imo res omnes
 debita & facta.
- §. 24. Qu. An assignatio que fit Creditori
 consentienti sit instar solutionis? Quod
 neg. secundum Paroemiam mercato-
 rum. Anweisung ist keine Zah-
 lung.
- §. 25. Nec officit pactum de non revo-
 cando solutioni adjectum esse, neg.
 enim inde magis solutio est: multo mi-
 nus potest ipso jure obligationem tol-
 lere.
- §. 26. Extinguitur tamen debitum per so-
 lutionem tam inter assignantem &
 ejus Debitorem qui solvit, quam inter
 Creditorem & ejus debitorem qui ipsi
 assignavit.
- §. 27. Quid si Debitor assignatus solvat
 Creditori non assignantis nomine, sed
 nomine proprio & indebitum, an li-
 berabitur assignans? Neg. sed an hic
 indebitè solvens solum repeteere potest
 Aff. in l. 19. §. 1. de Cond. Jud. Neg.
 in l. 44. ff. eod. Hujus decisio verissi-
 ma est, quod ex intimis J. gentium
 principiis exponitur.
- §. 28. Quid si Debitor assignatus nomi-
 ne & jussu assignantis solvat, An hac
 solutione ipso jure & ita omnis ex-
 tinguitur obligatio ut etiam fidejussores
 & pignora liberentur? Ita videtur per
 l. 36. de Fidej. & l. 43. de solut. &c.
 sed negat hoc J. Ct. in l. 28. Mand.
- §. 29. Quæ collisio tollitur per distinctio-
 nem, an solutio fiat ex eadem causa
 an vero ex causa diversa & per se sub-
 sistente. Illo casu ipso jure solutione tolli-
 tur debitum, & accessiones, non etiã hoc
- §. 30. Demonstratur d. l. 34. & l. 36. age-
 re de priori casu, ubi solutio fit ex
 eadem causa de Fidejussore, qui
- semper ex eadem cum Principali causa
 debet, licet ex distincta obligatione,
 hinc solvendo necessario debitorum Pri-
 cipale ipso jure tollit. Sed d. l. 28. agit
 de solutione que fit ex alia & diversa
 causa. Scilicet que fit à Mandatario qui
 obligatur ex causa mandati que per
 se substitit & distincta est à causa De-
 bitoris mandantis qui Creditori suo obli-
 gatur & g. ex mutuo. Ille igitur ex cau-
 sa mandati solvens non tollit causam
 mutui ipso jure.
- §. 31. Ex iisdem Principiis deciditur qua-
 stio, An post solutionem à mandatario
 vel assignato factam Creditor adhuc
 teneatur ei actiones cedere? Negans
 hoc expres. l. 76. de Solut. aliq. Text.
 affirm. l. 23. Mand.
- §. 32. Ast vero ad horum Textuum anti-
 nomiam tollendam ad eandem distin-
 ctionem que in §. 29. habetur recurri
 debet, quo modo utriq. Textus facile
 conciliantur.
- §. 33. Qu. An Assignans praeferatur in
 petitione solutionis ei cui sit assignatio?
 Aff. Ita ut etiam si denunciatur assigna-
 to assignationem alii factam esse, ni-
 hilominus idem adhuc dicendum sit.
- §. 34. Quid si quis mandat suo debitori
 ut alii solvat sed postea hunc prohibet
 accipere, interim Debitor ignorans re-
 vocationem b. f. solvit. Qu. An sol-
 vens liberetur? Resp. Aff. neg. ob. l.
 l. 38. §. 1. de Solut.
- §. 35. assignationem idem esse quod man-
 datum. Hinc datur (1) assignanti Ac-
 tio mandati directa.
- §. 36. (2) Assignato datur actio mandati
 contraria.
- §. 37. Assignatus praestat culpã levisimã?
 Si ex necessitate suscipit, saltem levem.
- §. 38. Finitur (1) mutuo consensu, (2) assi-
 gnantis revocatione (3) assignati renun-
 ciatione, ubi tamen vid. Exceptiones. (4)
 morte: Except. Vid. ibid.
- §. 39. conclusio.

DISP.



Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

De

ASSIGNATIONIBUS,

Vulgo

Von Anweisungen.

§. I.



quod disputantibus solenne est, statim in primordio vocum explanationes tradere antequam rem ipsam aggrediantur, idq; exemplo celeberrimi Juris Auctoris Ulpiani in *L. ff. de f. & f.* Hoc ipsum quoque in praesenti, quod Deo adjuvante pertractandum mihi sumpsit Disputationis argumento, penitus negligere, religioni duco; Anxius vero eidem inhærere supervacaneum arbitror, ne scilicet magis vocum Cortices quam rem ipsam sectari voluisse videar. *Qua enim veritati operam dat Oratio, incomposita esse debet, & simplex. Sen. Ep. 40. & 49. in f.* Sufficiat igitur pro enodanda assignationis voce id, quod ipsa abunde satis detegit, monuisse,

A

illam

illam derivari ab assignare i. adsignare, sicut german. *Antweysung*/derivatur ab *an* & *weysen*; quod est demonstrare verbis vel alio indicio. Plura adducere non admittit Ratio mei instituti, curam hanc criticis grammaticeque Libenter relinquens.

§. 2. Cæterum verbum assignare non eodem ab omnibus nec ubique accipi significatu, paucis adhuc exponendum videtur. Vulgaris acceptio apud probatæ Latinitatis Autores est, quâ assignare idem valet quod declarare, seu significare cujus quid esse velit. arg. l. 1. §. 1. *ibi si significasset cujus ex Liberis Libertum esse vellet. ff. de assign. Libert.* vel etiam idem significat quod tribuere Germ. *zuschreiben* / *zueignen* / it. *antweysen*. Quo pertinet locus ap. Ciceron. L. 6. Ep. 7. *ibi de quo quicquid detrahas, necesse est infirmitati aut invidia assignetur. Et ap. Sueton. in Aug. c. 44. assignare ordinem, cuneum. Et c.*

§. 3. Alia hujus vocis significatio est, dum accipitur pro distribuere, quo sensu Cic. L. 11. Ep. 20. *Res quasdam assignari jubet equaliter vel sorte.* Eodem modo in L. 22 §. 1. ff. *Famil. ercisc. arbiter, certam pecuniam unscuique Hæredum assignare. & in L. ult. ff. de Distr. pignor. nomina communium Debitorum separatim, diversa, singulis in solidum assignasse dicitur.* Pari ratione adsignati agri vocabantur qui veteranis pro præmio adsignabantur & inter eos centuriis actis dividebantur *vid. l. 11. ff. de Evict. j. l. 20. de capt. Et postlüm. cui convenit quod ap. Sueton. in Cas. c. 38. assignare agros dicatur Et in Tiber. c. 9. assignata sedes Et c.* Ita quoque assignata Pecunia Varroni L. 4. de *Lingu. Lat. accipitur pro distributa seu attributa, dum scilicet ea pecunia quæ populo imperata erat tributim, a singulis proportionem census exigebatur.* Notissima quoque ex Jure est adsignatio illa Libertorum, de qua

qua *tot. tit. Inst. Et ff. de assign. Libert.* aliæ hujus verbi significationes reperiuntur in *l. 1. §. 24. de ventre inspic. l. 62. §. fin. de Contrah. Empt. Briffon. de V. S. Et Schard. Lexic. Jurid.*

§. 4. Mores quoque & statuta locorum certis quibusdam acibus specialiter receptis vocem assignationis adhibent, uti cum ibidem agitur v. g. de assignatione ad fideles manus, wann Güter zu treuen Händen in das Stadtbuch geschrieben werden/ quem contrahendi modum late persequitur *Marquard. de Jur. Commerc. L. 2. c. 9. n. 8. 9. seq.* Quousque Jure Lubec. ita contrahere liceat, tradit *Dn. Mev. in Comm. ad d. J. L. P. 1. T. 2. a. 5.* Sic quoque separatio bonorum J. Lubec. inter Parentem ad secundas nuptias transvolantem, & Liberos prioris matrimonii recepta, vulgo der Aufspruch assignationis nomine venit *Mev. d. l. Part. 2. T. 2. a. 33.* Et differt ab illa bonorum assignatione, quæ in anticipationem mortis à parentibus fit liberis, & interdum vim ultimæ voluntatis habet, interdum vero in causa peculii facta censetur, de qua videri potest *Fritsch. in supplem. Speidel. l. a. n. 30.*

§. 5. Verum ab omnibus hisce quas modo verbi, ac vocis hujus adduximus significationibus, immane quantum & toto cælo differt assignationis de qua nobis hic sermo est interpretatio: Etenim sumitur illa hic sensu magis vulgato pro negotio quodam inter Creditorem & debitorem intercedente, quo demonstratio fit mediis solvendi sive ab alio debitore, sive alii Creditori; unde hoc loco assignare nihil aliud significat quam demonstrare & indigitare vel Creditori unde suum, consequi possit, vel Debitori cuiquam solvere debeat, & hinc vulgo dicitur Antwensent. *Conf. l. 27. §. fin. de Leg. 3. ibi: sed demonstratum unde accipere possit.*

§. 6. Ex quibus apparet, assignationem duplici modo fieri posse, *tum* quando Creditor suo creditori assignat suum debitum, *eiusque* exactionem, *tum* vero quando Debitor suo debitori alium assignat Creditorem cui solvat §. *seqq.* Illa pro libitu Creditoris fieri potest, etiam, invito debitore *arg. l. 1. C. de Novat. l. 3. C. de Hæred. vend.* quia ejus non interest cui nam solvat, an ipsi Domino an ejus mandato alii, imprimis quia ipsius assignantis nomine solutio acceptatur. *vid. §. 10. Hæc.* non ex arbitrio debitoris fieri potest, sed tantum volente creditore, quia debitor ipse solvere ex suo pacto tenetur, neque ergo, alium, qui non promissit, admittere cogitur creditor, nisi tamen parata assignetur solutio, nam hæc etiam per alium fieri potest. *l. 5. §. 17. C. de solution. Grandinb. v. h. §. 1. Ant. 31.*

§. 7. Fundamentum vero hujus assignationis ex variis dependet negotiis. Nam ita (1) assignare alii solutionem per stipulationem possumus *l. 106. §. 1. f. ff. de solut.* ita (2) in Testamento quoque Debitor Creditori assignare Personam à qua pecuniam accipiat potest. (3) Aliquando ipsa obligatio cum solutione assignatur, quod fit per cessionem *de qua infr. §. c.* Denique vero & (4) plerumque per mandatam fieri solet & nudo consensu, de qua solà præfens nostra erit tractatio.

§. 8. Fundamentum igitur nostræ assignationis unice in materia Mandati latet: Nam cum in genere mandatam dicatur quoties alii mando ut mea negotia gerat *l. 2. §. 1. Mand.* vel ut Titio Credat *l. 6. §. 4. §. 6. eod.* sic etiam & multo magis tunc erit mandatam, si Debitori meo mando, ut Pecuniam meo Creditori, nomine meo solvat, per *l. 12. §. 5. Mand.* & imprimis in *l. 22. §. 8. l. 26. §. 1. eod. l. 34. pr. eod. verb. item, quod si à Debitor meo juffera te accipere pecuniam. l. 45. §. 4. eod. l.*

40. ff. de

49. ff. de solut. l. 64. eod. ibi. Cum jussu meo id quod mihi debes, solvis Creditori meo, & tu à me & ego à Creditore meo liberor. add. l. 66. eod. vel si Creditori mando ut Pecuniam quam ipsi debeo à debitore meo exigat d. l. 45. §. 7. ibi quod mihi debebas à Debitore tuo stipulatus sum periculo (i. e. nomine & jussu) tuo &c. & in l. 106. de solut. ibi Cui vero alias permisero solvi non recte solvitur si &c. add. l. 49. eod.

§. 9. Ast vero assignatio nihil aliud est quam tale mandatum, ubi mando tum debitori, ut solvat meo creditori, tum creditori meo, ut exigat pecuniam à meo Debitore; Hic enim assigno tum Creditori alium Debitorem à quo ipse exigat, tum Debitori alium Creditorem cui ipse solvat. Adeo ut Assignatio hæc recte definiri possit; *Mandatum quo alii solutionem vel præstandam vel exigendam gratis committimus. vid. §. præced.*

§. 10. Unde porrò jam apparet, quod per hoc mandatum & per hanc assignationem nihil Juris in Mandatarium seu assignatum (sit venia verbo) transferatur: Nam si ille meo nomine solvit, tanquam meum instrumentum solvisse, & saltem ministrum solutionis egisse videtur: egregie hoc ita traditur in l. 56. ff. de solut. Qui mandat solvi ipse solvere videtur, & in l. 180. de R. J. Quod jussu alterius solvitur pro eo est quasi ipsi solutum esset. Pariter & è contrario si Creditor ex mea assignatione exegit debitum, ministerium exactoris mihi præstitisse, ego autem ipse per Creditorem exegisse videor. l. 49. ff. de solut.

§. 11. Sequitur hinc quoque, nudo consensu quocumq; modo, etiam nutu inter præsentés & epistolâ aut nuncio inter absentes, declarato, assignationem fieri posse arg. l. 1. pr. & §. 1. ff. Mand. §. un. l. de oblig. que

ex Conf. Nam in genere omnia quæ in mandato observanda veniunt hic subintelligi debent.

§. 12. Quo fundamento supposito, facile nunc quoque constabit, in quo nam Assignatio nostra ab aliis similibus iuribus distinguatur. Quanquam enim Jure Romano introducta delegatio communiter à DD. *Germanice Eine Anweisung / Assignation*, vocari soleat, *Reneman. Jurispr. Germ. Membr. 3. Disp. 67. n. 34.* minus tamen accurate id fieri utriusque negotii naturam penitiùs inspicienti facile patebit. Vocem ipsam assignationis longe strictiorem esse delegationem, nec hujus indolem exhaurire, agnovit *Dn. Hopp. in Comment. Instit. Tit. quib. Mod. Toll. obl. ad §. 3.* quod ipsum apprimè declarat distinctio vocum apud Mercatores *induciren / transportiren /* quibus delegationem significant, & *anweyßen / assigniren /* quibus nostram assignationem denotare solent, *vid. Marquard. de Jure Mercat. l. 2. c. 15. n. 8.* quanquam negandum non sit delegationem apud eodem sæpe Assignationis nomine insigniri & per eandem expediri. *Marquard. d. l. n. 18.* Optimè autem omnium à Belgis hic distinguitur, inter *Oversetting*, quâ designant delegationem, & quæ voci *Transport* consentanea est, & *Anweyßing*, quâ assignationem significant. *vid. Grot. Introd. ad Jurispr. Batav. p. 44. n. 4. 5.*

§. 13. Imò non voce tantùm sed & re ipsâ maxime differunt. Nam (1) *Delegatio* fit per verborum obligationem i. e. interrogatione & congruâ responsione, §. 3. *I. quib. mod. toll. obl. l. 1. ff. de Novat.* etiam moribus nostris, quicquid dissentiat *Schütz in Compend. Lauterbach. Tit. de Novat.* Vid. *Illustr. Dn. Præf. in Diss. de Different. hod. pact. Et stipulat.* *Assignatio* è contrario nudo tantum consensu fit & simplici inter Creditorem & Debitorem assignantem conventionem. *Vid. supr. §. 8. Et 11.*

Unde (2) *Delegatio* priorem obligationem extinguit ipso jure & novam in delegato constituit d. §. 3. I. quib. mod. toll. obli. l. 1. ff. de novat. non etiam *assignatio*. Nam per hanc nulla pars obligationis in assignatum transit *sup.* §. 10. sed unicus solutionis & exactionis effectus d. §. 10. Quia ille assignatus meo nomine potius solvit ac exigit d. §. 10. tantū ergo abest meam obligationem hic esse extinctam.

(3) *Delegatione* factā Creditor contra delegantem amplius agere nequit l. 2. C. de novat. Quia nimirum delegatio solutionis vice est, adeoque totam obligationem ipso jure extinguit. Aliud in *Assignatione*, ubi prior obligatio manet & saltem solutio mandatur *per modo dicta*. Inde (4) Periculum nominis *delegatus* ipse sustinet l. 3. C. de Novat. l. 45. §. pen. mand. nam sibi imputet quod non magis idoneum debitorem acceperit *arg.* l. 1. §. 11. ff. de separat. Aliter obtinet in *assignatione*; utpotē in quā exactio semper fit periculo mandantis seu assignantis, ad quem Creditori non secuta solutione semper regressus patet *arg.* l. 22. §. 2. mand. ibi igitur quod minus servareo consequar mandati actione. Denique (5) per delegationem purgari mora dicitur in l. 8. pr. ibi. quasi mora purgata *Et c.* de novat. l. 31. pr. eod. scilicet quia mora est accessio debiti principalis, hōc ergo sublato etiam mora sublata videtur. *Vid. Illustr. Dn. Praef. in Disp. de Mora.* Secus est in *assignatione*; cum enim, uti modo demonstratum, assignatio vice solutionis non sit, neque ullo modo priorem obligationem extinguere queat, moram quoque purgare non poterit.

§. 14. Neque verò his differentiis obstat quod quoties inter duas obligationes Nova Persona intervenit praesumatur animus novandi, per *text. expressum* in §. 3. *Inst. Quib. mod. toll. oblig. ibi.* Nam interventu

nove

nova Persona nova nascitur obligatio & prima tollitur, quae sententia quoque communiter ita in praxi recepta est, *Mey. P. 7. D. 11. & 13. & P. 2. D. 240. Marquard. de Jure Merc. L. 2. c. 15. Conf. Gail. L. 2. obs. 30. n. 9. Neost. Dec. Cur. Holl. Dec. 38. Lauterb. Tit. de Novat. Doct. apud Brunn. ad l. f. n. 9. C. de Novat.* Unde hic quoque dicendum videbatur, assignationem esse quandam Novationem seu Delegationem, quia hic quoque nova Persona intervenit: Sed Resp. Quories Nova Persona *obligationi* adjicitur toties praesumitur delegatio, sed in assignatione intervenit nova Persona, non ut obligationem suscipiat, sed nudam *solutionem*, ut proinde in assignatione nunquam de nova obligatione constituenda agatur.

§. 15. Omnium maximè porro assignatio videri posset species quaedam Constitutæ pecuniæ quâ scil. *quis promittit se quod alius debet, soluturum, §. 9. Inst. de A&T. l. 5. §. 2. de Const. pec. cum & Debitor assignatus acceptando assignationem promittat solutionem alterius Debitori.* Sed differunt 1) Quod Constituatur etiam debitum proprium i. e. Debitor promittit se soluturum quod ipse debet *dd. ll.* Assignatio vero semper intervenientem requirit personam, quia nemo sibi ipsi mandare cum effectu potest. (2.) Quod tantum constituatur Creditoribus *l. 5. §. 7. ff. de pec. Const.* Assignatio vero etiam fieri possit debitoribus. *sup. §. 6. 8. 9. 10.* (3) Constituitur tantum debitum *l. 2. pr. C. de Const. pec. l. 5. §. 2. l. 11. ff. eod.* Nam constituere est nudo pacto promittere quod antea debebatur *l. 1. §. 1. ibi: pecuniam debitam & c. & pass. ff. de Const. pec. Lauterb. ff. h. t.* Assignatur vero nunquam debitum, sed nuda solutio debiti.

§. 16. Quin etsi assignatio multa cum Cessione communia habere videatur, utpotè cum cessio etiam per

per mandatum fieri dicatur *l. 4. ff. de Procurat. l. 8. in f. Mand.* unde promiscuè in jure accipi solet, cedere, mandare actiones *vid. Tit. ff. & C. de Hæred. l. act. vend. Lauterbach. in Coll. ff. d. T. §. 35.* in plurimis tamen differunt: Siquidem (1) per cessionem ipsum Debitum & tota obligatio quoad effectum & exercitium in cessionarium transfertur *l. 4. l. 9. C. de Procurat. l. ult. C. Quando Fisc. l. Priv.* In assignatione sola solutio *sup. §. 9. seq.* Hinc (2) per cessionem alter Procurator in rem suam efficitur *l. 8. §. ult. ibi: si mihi hæc actione cedas ut Procuratorem me in rem meam facias & c. ff. Mandat.* non autem per assignationem, quæ terminos simplicis mandati non egreditur nec ullum Jus actionis transfert in Creditorem, sed hic nudus tantum fit Procurator. *vid. §. 10.*

§. 17. Neque enim exinde fit Procurator in rem suam, quod ad eum cui fit assignatio i. e. ad Creditorem etiam plerumque utilitas pertineat, quia etiam mandatum in mandatarii utilitatem fieri potest *L. 2. pr. Mand.* nec tamen iste ideò est Procurator in rem suam. Unde (3) Cessionarius actiones habet contra debitorem cessionem, *L. 3. ff. profoc. l. ult. ff. donat. Franzk. ff. de Evid. n. 50.* sed Creditor, cui mandatur saltem exactio nullam habet actionem, cum actio ipsi cessa non sit. Tantum igitur permisum ei intelligitur, ut privatim assignatum de pecunia solvenda compellet. (4) Periculum nominis ejus est cui facta est cessio *l. 4. de Hæred. l. act. vend.* cum sufficiat verum nomen præstitisse licet bonum non sit *d. l. 4. l. 14. §. fin. ff. de Evid. Lauterb. ff. d. t. §. 42.* Assignatio autem semper periculo assignantis fit, *uti supra demonstravimus §. 13.* ita ut si Debitor assignatus non sit solvendo, prior actio Creditori semper salva maneat adversus assignantem. (5) Cessionem

nem tantum à Creditore fieri constat, utpotè per quam alius debitori Creditor substituitur: assignatio autem etiam à Debitore fit, qui Creditori suo solutionem ab alio debitore faciendam assignat.

§. 18. Ex præcedentibus ergò videtur hunc debitorem assignatum nihil esse quam adjectum solutioni, qui scil. inter contrahentes ita adjicitur, ut Debitoris arbitrio relinquatur, an mihi, an vero adjecto illi solvere velit *l. s. ff. de Const. pec. & negari nequit perquam similem esse hanc adjectionem solutionis causa, nostræ assignationi vid. Lauterb. Tit. de solut. Verumtamen & hic magna differentia est (1) Quia adjectus solutioni etiam per stipulationem fieri potest *l. 106. §. 1. fin. de solut. §. c.* Sed hæc assignatio tantum per mandatum. (2) Solutionis causa quis adjicitur tantum ut accipiat solutionem v. g. ita, *quod Tu debes, mihi aut Titio solvere spondes?* Nunquam vero ut ipse alii solvat, secus ac in assignatione (3) adjectus solutioni, nunquam eam invitus fuscipere tenetur, cum de se non promiserit, nec ex promissione alterius obligetur *arg. §. 3. Inst. de inutil. Stipul. l. 3. C. ne lic. pro mar.* Sed ille in quem assignatio fit, omnino etiam invitus ad solvendum obligatur, tanquam Debitor assignantis, cum nihil illius intersit cui solvat.*

§. 19. Proximè denique omnium ad Cambium videtur accedere assignatio, cum eodem fere modo utraque fiat & necessaria quædam omni Cambio insit, assignatio. Verum hoc non obstante & quanquam Cambia per modum assignationis fieri soleant, magna nihilominus inter utrumque negotium manet differentia: Sic enim (1) Omne Cambium ex duobus consistit negotiis (a) Contractu innominato, quo petens Cambi-

Cambium, exsolvit prius Campsori pecuniam alio transferendam vel etiam alio modo satisfacit, dato simul lucro aliquo, (Italis l'agio) pro transmissione. *Carpz. P. 2. Const. 26. def. 13. (β)* Mandatum quo Campsor eicui fit trassa (i. e. qui in alio loco solvere debet) certam pecuniam solvendam injungit, quod ipsum per modum assignationis fieri debet: Sed in nostra assignatione plerumque unum saltem negotium unumque mandatum est inter assignantem & assignatum. *vid. sup. §. 6. 8. 59.* (2) Omne ergò Cambium supponit præcedentem contractum innominatum & sic ex Juris necessitate, assignatio subsequi debet; Sed nostra assignatio sine præcedenti obligatione ex mera & libera voluntate assignantis procedit. (3) Unde porro sequitur, Campsorem vi Contractus assignare pecuniam debere nec amplius pœnitere posse, secus ac in assignante, hic etenim uti libere assignare, ita quoq; pro Lubitu assignationem revocare potest. *vid. infr.* (4) Is cui fit Trassa cambium vel acceptare vel rejicere potest, sed assignatus tenetur præstare solutionem etiã invicis *vid. sup. §. 6. 18.* (5) Origine suã Cambia saltem sunt inter absentes & ideò introducta, ut aliquis peregrè profecturus in exteris locis paratam sperare possit pecuniam; at assignatio etiam fit inter præsentis & propter aliam plerumq; causam, hinc (6) multa singularia privilegia in Cambiis sunt introducta, quod scil. paratam habeant executionem, quod arrestari persona Debitoris possit &c. idq; ex summa æquitate & ne quis in exteris Regionibus processuum ambagibus circumveniatur ita receptum est, quæ omnia vero in assignationibus nullibi hæctenus recepta apparent: (7) Cambio saltem liquidissimæ exceptiones opponi possunt & quæ in continenti probari possunt.

posunt. Leipz. Wechsel-Ordn. de A. 1682. num. 18. Sed assignationi etiam alia & qua altioris sunt indaginis 8) Cambium acceptans i. e. solutionem ejus promittens se ipsum debitorem constituit, Er machet sich zum Debitorn und Selbstschuldner / Leipz. Wechs. Ordn. d. n. 13. Marquard de Jure mercat. L. 2. c. 12. n. 81. adeoque a Presentante ad solutionem compelli in termino auff der Verfallz it potest, d. n. 13. Assignationem vero acceptans debitor. nullo modo eam presentanti sese obligat, sed pro lubitu illi mandato & assignationi renunciare poterit de quo infra plenius. (9.) Litera Cambiales certum tempus solutionis vel conventionale v. gr. auff Sicht Ital. a Visto vel consuetudinarium Ital. a l' Ufo continent, quo elapso solvendum est Cambium vel rejiciendum: non idem in assignationibus qua regulariter indeterminate loquuntur, v. g. Der Herr beliebe an N. N. 100 Rthlr. zu zahlen / (10) Cambio non acceptato presentans, protestationem interponere debet, alias regressum non habet contrahentem, sed protestatione neglecta perimitur obligatio contrahentis, ita ut obligationis periculum redundet in eum cui facta est remissa i. e. in presentantem Raph. de Turri de Camb. Disp. 2. Qu. 12. n. 15. Leipz. Wechsel-Ordn. § 27. aliud in assignatione, ubi Debitore assignato solvere nolente vel solvendo non existente, regressus semper patet ipso Jure contra assignantem, utpote, cujus obligatio per assignationem extincta non fuit. (11) Quod moribus nostris Cambia contrahantur etiam inter duas personas, nimirum quando is qui Cambium dedit simul se ipsum in persona, ad solutionem in loco destinato faciendam obligavit, Wann Er den Wechsel auff Sich selbst trasiret oder gezogen; Dn. Stryk.

Stryk. de Caut. Contr. S. 3. c. 5. §. 21. Leipz. Wechsel-Ordn.
n. 4. assignatio è contrario tertiam semper Personam
 intervenientem requirit, cum præterea quoque nemo, sibi ipsi alium assignare cum effectu possit. *vid. sup. §. 15.*

§. 20. Assignant verò omnes qui liberam rerum administrationem habent: Nam cum assignatio sive Creditori fiat, sive Debitori, semper & eventualiter alienationem vel pecuniæ solvendæ vel obligationis contineat sponte fluit, neminem ita assignare posse nisi qui liberam administrationem bonorum, indeque alienandi facultatem habet.

§. 21. Hinc Tutores & Curatores quoque assignare possunt, nam his quoque publica Autoritate, administratio bonorum concessa est *arg. l. 9. §. 1. ff. de Admin. & peric. Tutor.* sed alia Quæstio est, An, si pupillus Tutori debëat, ipse Tutor hoc debitum suum ex pupilli bonis solvendum alii assignare possit? Quod valde dubium exinde videtur, quia Tutor hic sibi ipsi quodammodo solvere videretur, nemo autem sibi ipsi auctoritatem præstare potest, *l. 1. l. 7. l. fin. de Autor. Tutor. l. 34. §. fin. l. 46. de Contr. Emt.* Verum, cum ex singulari æquitatis ratione Tutor sibi ipsi solvere, *l. 9. §. 5. de Admin. Tut. & per. Tut.* quin, etiam sibi ipsi creditam pecuniam scribere possit: *d. l. 9. §. 7.* Multò magis pecuniam sibi debitam, alii, ut exigat, assignare poterit, quia paria sunt an Tutori ipsi solvatur an ejus jussu alii. *vid. sup. §. 6.*

§. 22. Tantum ergò abest Pupillum assignare posse sine auctoritate Tutoris, ut etiam secuta ad istam assignationem solutione, nec liberetur Debitor Pupilli *arg. l. 15. de Solut. §. 2. vers. qua dispositum, Inst. Quib. alien.*

lic. vel non. Ut ergò illa assignatio plene valeat, Tutoris Autoritas, *arg. l. 46. §. fin. & §. 5. de Admin. & per Tut.* & ut plenissime, prætereà decretum Judicis accedere necessario debet *arg. d. §. 2. vers. Sed hoc etiam & c. l. 25. C. de Admin. Tut.* Nam his modis demum plenissime securitati solventis prospicitur, quicquid disentiatur *Carpz. L. 5. Resp. 67.* Bene tamen hoc limitatur in *d. l. 25. in fin.* ubi in solutionibus annuorum reddituum annuarumq; pensionum, Judicis decreto opus esse aseritur, quod ad usuras quoque extenditur in *L. 27. C. eod.* ne nimirum in singulis & levioribus his causis, sumptus ad impetrandum decretum fieri necesse sit; Unde has quoque causas, Pupillum, Tutore autore & sine Decreto judicis, assignare posse, nemo incipias ibit.

§. 23. Assignatur autem solutionis vel præstatio vel exactio, & quidem ex omni obligatione unde solvi aliquid debet; adeoque solutio non tantum ex rei persecutoriis, sed etiam pœnalibus Actionibus *arg. l. 14. pr. de Furt. l. 31. pr. de Act. Emt.* & iis quæ tantum certis Personis competunt, uti quod ex querela inofficiosi Testamenti, *arg. l. fin. C. de Test.* ut & quod ex injuriarum actione æstimatoria debetur, *arg. d. l. fin.* Imò res quoque debitæ & facta &c. quæ omnia uti Juris communis sunt, ita prolixè hic pertractare, instituti mei ratio non permittit.

§. 24. Effectus hujus assignationis est, quod per illam transferatur in assignatum, nuda facultas vel præstandi vel exigendi solutionem *per Desfu. sup. §. 9.* Hinc jam facile deciditur quæstio, An assignatio quæ fit Creditori consentienti, sit instar solutionis? Etsi vero id affirmare videatur *Finckelth. Obs. 91.* tamen monendum est, ipsum non loqui de assignatione *solutionis*, sed
 ipsius

ipsius *obligationis* quæ nihil aliud est quam ipsa delegatio *vid sup. §. 14.* nuda autem assignatio, nulla ratione inter modos solutionum referri potest, quia per illam non ipsa *obligatio* sed nuda *solutio* in Creditorem confertur, qui illam exigit assignantis nomine *vid sup. §. 6.* id quod etiam confirmat communis illa mercatorum *parcemia: Anweisung ist keine Zahlung/ Vid. Illustr. Dn. Stryk in not. ad Tit de Hered. vend. in fin.*

§. 25. Quin imo etiam si additum sit pactum de non revocanda assignatione non tamen est vera solutio, neq; inde (1) Liberabitur Debitor assignans, nam pacta nunquam tollunt obligationem ipso Jure, neque etiam per assignationem hoc agitur ut obligatio in alterum transferatur, sed sola solutio: Ut proinde tota obligatio in assignantis Persona maneat: Neque (2) Ipso Jure impeditur idem assignans revocare assignationem, sed non obstante pacto ipse solutionem exigere potest, quod contra pactum veniat: neq; etiam (3) ille cui assignatio fit, impeditur quò minus pœnitere & relicto noviter assignato, ipsum assignantem convenire possit, sed pari ratione tum contra eum excipitur, quod dolo agat dum contra proprium pactum venit.

§. 26. Hoc tamen negari nequit, quod subsequente potest ad hanc assignationem solutione, debitum extingatur, non tantum inter assignantem & ejus debitorem qui solvit, sed & inter assignantem & Creditorem cui assignatio fit. Nam Debitor assignatus liberatur hoc ipso, dum solvit ei qui mandatum habet ab assignante, ut solutionem recipiat. *l. 12. ff. de solut.* assignans vero etiam liberatur, dum Creditori suo per assignationem permittit ut exigat Debitum, & pecuniam

ex-

exactam in solutum retineat: *Vid. l. 49. de solut. j. pr. f. Quib. mud. toll. obl. l. 95. §. 4. de solut.* Egregiè & compendiosè hæc ita traduntur in *L. 64. ff. de sol. verb. cum jussu meo id quod mihi debes, solvis Creditori meo, & tu à me & ego à creditore meo liberor.* an vero ipso jure extinguitur obligatio, an tantum ope exceptionis videbimus ad §. 28.

§. 27. Sed quid si ille debitor assignatus solvat Creditori non assignantis nomine, sed nomine proprio, quod fortè putat se eidem Creditori debere? Resp. Hoc casu non liberatur assignans, quia non solvitur ex causa ex qua debitum est, *l. 31. de Pet. Hæred. l. 19. §. 1. de Cond. ind.* An ergò ita indebitè solvens potest tanquam indebitum id quod solvit condicere? Ita videtur dicendum *propt. d. l. 19. §. 1. ibi si is qui dat, non debitum dat, repetitio competit.* nos tamen contrarium verius esse & conditionem indebiti cesare, asserere nulli dubitamus *propt. l. 44. de Cond. indeb. Qui Textus cum à DD. hæctenus intellectus non sit, paulò plenius examinandus erit.* Casus vero hic est. *Primus* debet *Tertio* 100. ut verò se liberet, mandat suo Debitori *Secundo*, ut 100. solvat Creditori suo *Tertio*. *Secundus* solvit quidem *Tertio*, at non nomine *Primi* sed nomine proprio, (licet reverà non debeat) hic ergo videbatur *secundo* danda condictio indebiti, quia solvit indebitè, sed ait JCrus. *Repetitio nulla est ab eo qui suum recepit, etsi ab alio* (scil. Debitore) *quam vero debitore solutum est*, adeòque non datur condictio indebiti. Ratio hujus rei ex intimis juris gentium principiis desumenda est. Nam agit Textus de Debitoris Debitore i. e. de Casu ubi *Secundus* erat Debitor *Primi*, Hic vero iterum Debitor *Tertii*. Hoc casu tertius Creditor Jus habet in omnibus bonis sui debitoris *Primi* adeoque &
in

in omni eo quod huic *primo* debetur (nam hoc quoq; in eius bonis esse dicitur *l. 143. l. 213. §. 1. V. S.*) & consequenter etiam in eo quod *Secundus* debet *primo*. Si proinde hic *Secundus* solvit *Tertio*, sc. sui Creditoris Creditori, non potest dici tertium indebitum accepisse, quia quodammodo Jus habebat, uti vidimus, in bonis *Secundi*, quæ principia plenius examinavit *Illustr. Dn. Prascs in disp. de oblig. Hæred. ex del. deff.* Hinc jam apparet, cur *Jctus*. dicat quod hic *Tertius suum recipiat, tamen ab alio quam vero debitore solutum est* nam etsi *tertio* non solutum sit à vero debitore i. e. *Primo*, tamen ab alio scil. debitoris debitore i. e. *Secundo* solutum est, & cum *tertius* mediatur in *Secundi* bonis jus aliquod habuerit rectè ait *Jctus*, quod *tertius suum receperit*, adeoque non indebitum.

Tota vero ratio hæc cessat, quando *Secundus* non debet *Primo*, adeoque ubi *Secundus* non est Debitor Debitor, Tunc enim si *Secundus* solvit *Tertio* omnino Conditione indebiti solutum repetet & de tali casu agit *l. 19. §. 1. de Cond. ind.* Ut proinde hi Textus plane invicem non obstant.

§. 28. Porrò alia & priori agitatior quæstio hic cocurrit, an, si Debitor assignatus nomine & jussu assignantis solvat, hac Solutione ipso Jure & ita omnis obligatio extinguatur, ut etiam Fidejussores & pignora liberentur? Neque ullum dubium hic superesse videtur, quia per hanc solutionem extingui diximus debitum Principale §. 26. Sublato autem Principali, necesfariò tollitur & accesforium, *Conf. l. 36. ff. de Fidejuss.* quod ipsum ulterius confirmari videtur *arg. pr. Inst. quib. mod. toll. oblig.* Ubi si fidejussor solverit idem esse dicitur ac si solvisset principalis Debitor, *nam quæ*

C

Man.

*Mandat solvi ipse solvere videtur. l. 56. ff. de solut. Et quod
jusu alterius solvitur, pro eo est quasi ipse solutum esse l. 180.
de R. J. ast vero principalis Debitor solvendo etiam li-
berat accessiones l. 34. de solut. d. pr. inst. Verum his
omnibus non obstantibus, aliter rem decidit JCtus in
L. 28. Mand. Mandatorem Debitoris solventem ipso Jure reum
non liberare.*

§ 29. Ad hanc vero difficultatem tollendam præ-
mittendum necessario est, Debitum per solutionem al-
terius tunc demum ipso Jure extingui quando fit ex
eadem causa; (Obligatio enim consistit in nexu & vin-
culo, quod non potest dici solutum nisi ex eadem cau-
sa solvatur ex qua contractum est, alias enim non es-
set solutio ejusdem, sed alterius vinculi, & alte-
rius obligationis:) Non vero si ex *causa diversa*, atque
ex se subsistente propriamq; formam habente.

§ 30. His ita præmissis facile constat cur in ca-
su ante allegato, si Fidejussor pro debitore Principali
solvat, tota obligatio cum accessionibus ipso jure extin-
guatur d. l. 43. d. l. 36. d. pr. Inst. Quia enim fidejussor
semper ex eadem causa debet l. 27. §. 1. de Fidej. ibi, *ag.*
hic quoque pertinebit ad eandem causam Et c. item in l. 1. §.
8. de O. Et A. ibi, *quia eadem obligatione teneantur Et c.* &
in securitatem Principalis obligationis tanquam cautio
accedit, per d. l. 1. §. 8. de O. Et A. ibi, *dum curamus ut*
quod in obligationem deduximus tutius nobis debeat Et c. uti
ex formula fidejussionis quoque apparet, *fide meâ esse*
jubeo Et c. vid §. 7. J. 1. de Fid. j. indeque etiam adpromis-
sor dicitur, dum quasi ad eandem causam & obligati-
onem promittit l. 43. ff. de solut. l. 5. §. 2. de V. O. Ultrò
jam sequitur soluta illa causâ, necessario & ipso jure,
omnes illius causæ accessiones ut v. g. Fidejussores
liberari.

liberari. Aliud autem & planè diversum est, quando aliquis pro debitore principali solvit tanquam mandatarius, (i.e. tanquam assignatus) nam hic duæ diversæ causæ obligationum sunt: Mandans enim suo creditori obligatur v. g. ex causa mutui, mandatarius è contrario nullo modo ex hac causa obligatur, neque eidem accedit neque ad eam promittit, sed ex nova & propria causa, scil. mandati, ad solvendum tenetur: Unde iterum & necessario concludendum est *Mandatorem solventem non ipso Jure liberare reum d. l. 28.* ubi ratio expresse additur, *propter mandatum enim suum solvit & suo nomine*, adeoque causa ex qua mandans debebat, v. g. mutuum, nondum potest dici sublatum, nam ex illa causa solutum non est sed ex causa mandati, adeoque nec fidejussio extinguitur nec reliquæ accessiones, utpote quæ non liberantur nisi causa & vinculo obligationis ipso Jure soluto. *l. 43. ff. de solut l. 95. §. 4. cod.* Ut proinde non sine ratione asserere audeamus, assignantem per solutionem assignati liberari *sup. §. 26.* scil. non quidem ipso Jure, sed ope exceptionis. Unde si creditor, qui ab assignato seu mandatario pecuniolutam accepit, contra assignantem actionem instituat v. g. ex causa mutui (quæ, uti diximus, soluta non est sed ipso Jure adhuc durat) repellatur exceptione Doli, quod contra bonam fidem agat dum id quod semel jam accepit (etsi ex alia causa, sufficit enim quod ea intentione mandatarius dederit ut ipse mandans seu assignans liberetur) bis exigit *l. 57. de R. J.* & hæc Exceptio dabitur & proderit etiam Fidejussoribus.

§. 31. Ex iisdem his Principiis pariter ad oculum demonstratur celebris & in praxi quoque admodum ventilata quæstio an mandatarius, solvens pro suo

mandante seu assignante, habeat beneficium cedendarum actionum, ita ut creditor teneatur solventi cedere actiones quas ipse habet contra assignantem? Equidem, si *ante solutionem* petatur, cessio illa denegari non poterit *l. 41. §. 1. ff. de solut. l. 76. in f. cod.* Nam in humanus esset Creditor si denegaret solventi, id quod ei non nocet, alteri tamen quam maximè prodest *arg. l. 2. §. f. de aqu. & aqu. pluv.* Sed in eo jam latet omnis controversia; an, si Mandator seu assignatus solvat non reservata sibi cessione, *post solutionem* eandem cessionem adhuc petere à Creditore possit? Mirum quam hic varient LL. & DD. Apertè dicitur in *l. 76. de solut.* cessionem amplius fieri non posse, idem in *l. 59. ff. de Fidej.* aseritur, & ratio quoque huic sententiæ ad stipulari videtur, quia enim solutio omnes actiones extinguit ipso Jure *l. 43. de solut. d. l. 39.* frustra jam post solutionem videtur agi, ad cessionem actionum, quæ non amplius sunt, sed quæ ipso Jure per solutionem extinctæ sunt. Sed nihilominus tamen aliud in jure dispositum videmus, nam expresse in *l. 28. Mand.* dicitur etiam post solutionem *mandatori actiones adversus reum cedi debere.*

§. 32. Verum omnis quæ hic intercedere videtur antinomia sponte sua evanescit, si illud quod in §. *preced. 29.* supposuimus fundamentum huc revocemus, distinguendo nimirum, an solutio fiat *ex eadem causa*, an *ex diversa*; *Illo casu* totum debitum, omnisque causa obligationis, adeoque & consequenter actiones ipso jure extinguuntur: id quod luculenter apparet fidejussoris exemplo, hic enim dum ex suâ fidejussione nomine rei Principalis solvit, semper ex eadem cum reo principali causa solvere videtur §. *preced. 39.* indeque per suam

suam solutionem, totam causam solutionis cum omnibus accessionibus ipso Jure perimit. *d. l. 76. d. l. 39.* Unde porro sequitur, hunc Fidejussorem post factam solutionem, non amplius petere posse ut creditor cedat actiones, utpote quæ amplius in rerum natura non sunt, sed per solutionem extinctæ, Et hic jam est text. in *l. 39. de Fidej. & d. l. 76.* Ut proinde non videam, quo pacto *Carpzov. p. 2. C. 17. Def. 15.* asserere possit, *fidejussorem videri solvere magis suo, quam alieno nomine*, contra tot evidentes textus & rationes in *§. preced. 30.* enumeratas. Ex quo falso supposito non potest non male concludere *n. 11. quod etiam Fidejussor solvens, possit adhuc post solutionem cogere Creditorem ad cedendum sibi actiones &c.* contra text. expressum in *l. 39. de Fidej.* ibi: *cum alter electus à Creditore totum exsolvet NB nec ei cesse sint actiones, alter nec à Creditore, nec a fidejussore convenietur, & in l. 76. ff. de solut. ibi: si post solutionem sine ullo pacto omne quod ex causa Tutela debebatur, actiones post aliquod intervallum cesse sint nihil ea cessione actum, cum nulla actio super fuerit.* Sed & hæc *Carpz.* sententia à magni nominis Jctis improbat: *vid. Joh. Cöpp. P. 2. obs. 31. n. 19. 20. Illustr. Dn. Prasles in Disp. de differ. Hodiern. Pact. & stip. sect. ult. §. 20. ff. Lauterb. Disp. de Fidejussor. §. 23. Hoc casu (vid. pr. §. b.) i. e. Si solutio fit non ex eadem sed novâ propriâ & separatâ causa, uti si quis solvit ex mandato alterius, jam in §. Preced. demonstravimus, mandantem non liberari ipso Jure per solutionem mandatarii, quia non solvit ex causa ex quâ mandans debet, sed suo nomine & ex suo mandato. Quoniam ergò mandans manet ex suâ causa ipso Jure obligatus, adeò ut Creditor quoque suas actiones, ipso Jure salvas habeat, hinc necessario con-*

cludimus. creditorem ad has actiones cedendas etiam post solutionem compelli posse, quia jam aliquid est quod cedi potest. Hæc sententia totidem verbis refertur in *d. l. 28. Mand. Propter Mandatum enim suum solvit & suo nomine NB. ideoque* (i. e. quia suam demum causam solvendo peremit, adeoque quia actiones inter Creditorem & mandantem ipso jure durant) *mandatori actiones putat adversus reum cedi debere*: Sed de his satis.

§. 33. Porro Quæritur, an assignans præferatur in petitione solutionis ei cui fit assignatio? Aff. Nam cum cedens præferatur cesionario quando simul contra debitorem cesum agere volunt, *l. 3. C. de Novat.* multo magis hoc verum erit de assignante, ubi nihil juris præter solam solutionem in illum Creditorem transfertur: imprimis quia Creditor ille jus exigendi ex mandato assignantis habet; hoc vero mandatū pro lubitu revocari potest, & hoc ipso quoque revocatur, dum ipse solutionem exigit *d. l. 3.* Quod adeo verum esse putamus ut etiamsi denunciatur assignato factam esse alii assignationem, nihilominus cum effectu juris ipse assignanti solvere, & hac solutione ipso jure liberari possit. Etsi enim in cessione aliud observetur, neque denunciatione cesso facta cedens amplius acceptare solutionem vel liberare cesum illum debitorem possit *d. l. 3. C. de Novat. l. fin. ff. de Transactionibus. l. 1. in f. ff. de A. E. V. junct. arg. l. 27. §. 1. ad Sc. Treb. Fab. in C. L. 4 T. 20. def. 18.* Tamen de assignatione idem asseri nullo modo potest, utpote quæ uti jam toties dictum, nullum jus in alterum transfert, sed ex natura mandati, pro lubitu mandantis revocari potest §. 9. *Inst. mand.* atque ita expresse rem decidit Ulpianus in *L. 12. §. 16. Mand. Si mandis vero exigendam Pecuniam, deinde voluntatem*

luntatem mutavero, an sit mandati actio vel mihi vel heredi meo, & ait Marcellus cesare mandati Actionem, quia extintum est mandatum finita voluntate. & clarius in l. 12 §. 2. de solut.

§. 34. Quid si quis mandet suo debitori ut alii solvat, sed postea hunc prohibet accipere, interim debitor nesciens revocationem mandati, bona fide solvat, an solvens tunc liberabitur? Affirm. per l. 12. §. 2. de solut. Sed & si quis mandaverit ut Titio solvam, deinde revertit cum accipere, si ignorans eum prohibitum accipere, solvam, liberabor, sed si sciero non liberabor. Cum enim semel mandatum sit debitori ut alii solvat, tamdiu ille recte inhæret huic mandato donec aliud & contrarium denunciatur, præprimis cum mandans sibi imputare debeat quod revocaverit mandatum seu assignationem neque id denunciaverit assignato. Non vero obst. l. 38. §. 1. de solut. Ubi assignatum etiam si ignorans solvat non liberatur ipso Jure: sed Resp. Casus ibi singularis est, quando ille cui facta est assignatio, sed iterum revocata, FURANDI ANIMO pecuniam acceptat: Hic enim pecunia est furtiva, neque fieri potest accipientis d. l. 38. ibi mansuros eos debitoris, proinde non potest dici solutionem factam esse nec liberationem ipso Jure solventi contigisse. Hinc ergo mandans suam actionem salvam habet contra assignatum quia revera & effectu Juris non solvit, nec solventi aliter quam per Exceptionem subvenitur. d. l. 38. quod verò huc non pertinet.

§. 35. Cum ergò hæc assignatio revera nihil aliud sit quam mandatum, easdem quoque ex Assignatione Actiones descendere tuto asserere poterimus. Ita enim (I) *ACTIO MANDATI DIRECTA*, datur assignanti adver-

ti adversus assignatum ad id quod assignantis interest præstandum. *l. 8. §. 6. Mand.* Hinc ergo (I.) Si *Debitori* solutio præstanda assignatur, ille tenebitur quoties aliquid vel non gesit *l. 5. §. 1. mand. l. 27. ff. cod.* vel minus fideliter *d. l. 5. pr.* vel non intra fines mandati gesit *l. 5. pr. §. 2. cod.* uti si v. g. tardando solutionem usuræ interim excreverint, si intempestive renunciatur mandato & inde damnum aliquod existet mandanti, *l. 27. §. 2. Mand.* Item si minus solvit aut præstat quàm assignatum est, cum mea interfit totam summam solutam esse *Vid. l. 8. §. 6. mand.* Nam si susceptum non impleverit tenetur *d. l. 5. §. 1.* Idem quoque (2) dicendum de *Creditori*, cui solutio exigenda assignatur, nam & ille mandanti tenebitur ad omne id quod assignantis interest rem intra fines mandati gestam esse *l. 8. §. 6. l. 27. §. 2. Mandati.* Uti si assignatus Creditor exactorem negligat indeque præscribatur debitum, vel etiam interim, dum in mora exigendi Creditor existit, Debitor assignatus bonis labatur, vel alio modo ex negligentia assignati damnum contingat mandanti, vel plus exigat quam Mandatum &c. quæ omnia satis per se clara sunt.

§. 36. Sed è contrario etiam assignatis tam creditori quam debitori competit (II.) *ACTO MANDATI CONTRARIA* per quam assignatus sive Debitor sive Creditor agit adversus assignantem, ad id quod sibi ex eo negotio quod intra fines mandati gesit abest *l. 56. §. ult. Mand.* Si ergo impensas fecerunt in exactorem vel præstationem eas repetere poterunt, *l. 12. §. 9. Mand.* Idem dicendum si Creditor ex assignatione vel nihil omnino consequatur, vel non solidum, de quo elegans est *Text. in l. 22. §. 2. Mand. Interdum evenit ut me.*

um negotium geram & tamen utilem habeam mandati actionem, veluti cum debitor meus periculo suo debitorem suum mihi delegat, aut cum rogatu Fidei-jusforis cum reo experior, nam quamvis debitum meum persequar nihilominus & illius negotium gero, igitur quod minus serva-vero, consequar mandati actione. item si mandantis dolo vel culpa ei damnum detur. l. 61. §. 5. de Furt. &c.

§. 37. Ultimo loco Quæritur qualem nam Cul-pam assignatus præstet? Et videtur dicendum quod præstare debeat levisissimam uti Mandatarius l. 13. l. 21. C. Mand. Sed nos distinguendum putamus inter Debitorem, & Creditorem assignatum. Hic semper ultrò suscipit Mandatum adeoque etiam semper præstat levisissimam culpam, l. 21. C. Mandat. Vid. tamen *supr.* §. 6. Ille verò ex necessitate recipere tenetur. Vid. *supr.* §. 16. & 18. in *fn.* adeòque hic levem culpam præstabit, quia utriusque hic vertitur utilitas, dum uterque à debito liberatur.

§. 37. Finitur verò hæc assignatio iisdem modis quibus mandatum uti (1.) MUTUO DISSENSU §. *fn. Inst. quib. mod. toll.* quia iisdem modis aliquid dissolvitur quibus constituitur L. 35. f. R Assignatio autem mutuo consensu constituta est, ergò & mutuo dissensu iterum tolli potest. (2.) ASSIGNANTIS REVOCATIONE l. 12. §. 16. Mand. Nam mandans nihil juris in alterum transfert, nullâque ratione Mandatario est obligatus, indeque pro lubitu recedere à Mandato potest. Revocatio autem fit non tantum verbis, sed & factis, uti si non obstante assignatione alii factâ ipse solutionem exigat. Vid. *supr.* §. 33. vel si talis conditio sit creditoris, cui ex assignatione solvi debet, ut ei amplius solvi non possit, uti si aqua & igni ei interdictum vel servus factus sit. l. 38. pr. de Solut.

D

ibi

ibi: cum quis sibi aut Titio dari stipulatus sit, cum Titio postea aqua & igni interdictum, vel servus factus sit, non recte ei solvi dicendum. (3.) RENUNCIATIONE quoque MANDATarii five assignati ex eadem ratione tollitur mandatum, nam hic quoque nihil alieni tenet, neque ex sola acceptatione mandati jus in mandantem transtulit, eique se obligavit §. 11. *Inst. mand. l. 22. §. fin. ff. cod.* Sed hoc ita tantum verum est in Creditore cui facta est assignatio; secus autem est, & non potest fieri renunciatio (1) à Debitore qui assignatus est, nam hic non tantum ex mandato, sed & ex præcedenti obligatione, adeoque etiam invitus solvere tenetur, ipse enim rejicere non potest illum qui meo nomine solutionem vult acceptare, utpote cum ipsius non interfit an mihi, an meo nomine alii solvat. *sup. §. 6.* (2.) Quando res amplius integra non est §. 11. *Inst. mand.* nam tunc jus quaesitum est mandanti ex gestione alterius, quod ei per renunciationem assignati auferri nequit. (3.) Si sine justa causa intemptivè renunciaret *d. §. 11. l. 27. §. 2. b. t.* tunc tenetur ad omne id quod mandantis interest renunciatum non esse *dd. ll.*

(4.) Morte etiam assignantis & assignati extinguitur assignatio, neque hæredes in illam succedunt. §. 10. *Inst. Mand.* Nam non potest obligatio ex mandato transire ad hæredes, quæ in ipsis defunctis non fuit, utpote qui potuere pro lubitu recedere *vid. n. præced.* Sed itidem hæc Regula tantum vera est de morte assignantis & Creditoris assignati. Non vero (1.) de Debitore assignato, hujus enim morte non finitur mandatum, quia ipse non ex mandato debet, sed præcedenti obligatione, adeoque ex necessitate juris, quæ omnino etiam transit ad hæredes, uti id per bene quoque observat

observat *God. ad §. 10. Inst. mand. Et Marsil. singul. 44.*
 Neque (2) si res integra esse desit, tunc enim jam ipse defunctus obligatus fuit, adeoque in hanc obligationem defuncti heredes quoque succedunt, qui proinde cœpta à defuncto, & illa quæ cohærent, perficere debent, *Vid. Lauterb. Tit mand. in fin.*

§. 39. Sed Tantum pro Instituti ratione. Sufficit enim Fundamenta & principia Negorii hactenus, quantum constat, nondum satis explicati, summo quasi digito demonstrata esse. Deo interim T. O. M. grates persolvimus immortales pro benignâ studiorum Nostrorum directione, & ut illa porro unacum cœptis nostris prosperè cedere sinat, eum submissis precimus etiam atque etiam rogamus. Te verò B. L. omnia in meliorem partem interpretaturum speramus.

Corollaria.

I.

Confusio non tollit obligationem totam
 sed saltem personam obligationi eximit.

II.

Ex pacto de permutando Jure Civili non
 dabatur Exceptio.

III.

Sacrilegium etiam est, quando pecunia
 privata ex loco sacro surripitur.

D 2

I. Trans-

IV.

Transactio de relictis in testamento va-
let etiam non inspectis verbis testa-
menti.

V.

Transactio quæ fit per fictionem brevis
manus semper requirit rem præsentē.

VI.

Possessio est mere facti nec ad ullam spe-
ciem juris referri potest.

Errat. §. *in fin.* Add. Brandenb. Wechsel-Ordn. art. 31.



ULB Halle
004 827 791

3




*Made Rückgabe an OC
JL 13.05.08*

VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, ¹⁵**ASSIGNATIONIBUS,** ¹⁰Vulgo
Von Anweisungen / ^{1703, 16}Quam
Divinâ Favente Gratiâ
EX AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE VIADRINA,
PRÆSIDE**DN. HENRICO COCCEJO,**JCTO LONGE CELEBERRIMO,
SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ
CONSILIARIO INTIMO,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO ET PROFESS.
PRIMARIO,
ANTEASUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,*Fautore ac studiorum suorum Promotore et a tem colendo*
Ad Diem XIV. Julii Anno MDC.CIII.

Placido Eruditorum examini fuffit

JOACHIMUS FRIDERICUS
ab **ENGELBRECHTEN,**
Vocat. Synd. Stralesfund.Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.